

Individuum unica vice legi tribus flosculis praeditum, glumis tribus exterioribus, tribusque interioribus, omnibus perfectis genitalibus.

Color semenis obscure pallidus, ad cinereum vergens, plantæ viridi-paleaceus, spathæ pallide paleaceus.

Floret Majo usque Julium, semen vero maturescit autumno, vix tamen dimititur e spatha ante anni subsequentis tempus aestivum. Mense enim Junii pancissimas vidi spathas, quæ semine orbatae fuerunt.

Loc. Habitat per Hispaniam australem copiose. Legi ad *llichenozuelos* in magna copia in convallibus declinatis declivibus & ad radices montium circum jacentium, vulgo *los ferros del Estartal & de las salinas*. Ad *Aranjuez* juxta agros ad viam eundo ad *Yepes*. Solo semper argilloso, depresso, tempore pluviarum subhumido. Clusius per *Murciam* nasci affirmat & ab aliis in Africa quoque gigni fertur.

Usus hujus idoneus ex foliis ad storeas, corbes, spartellas aliaque ejus naturæ utensilia conficienda. Sed hoc tempore & in hacce regione vilis habetur neque aestimatur, ob copiolissimam messem, quam habent, Sparti herbae Plinii Clusii L. primi auctorum, materiam longe præstantiorem ad talia facienda præbentis. Accusatur enim hoc nostrum Spartum secundum S. Alvardin, tenerioris strueturæ & brevioris, minoris tenacitatis, nec tanta resistentia ac Spartum Plinii, vulgo Esparto, solum intellexi incolas hujus foliis Pulvinos stramineos implere, ut culicitræ superiores vulgo in hac regione lanceæ molliorem lectum reddant, cui usui promiscue inservit una altera species.

Figuram dedi, cum nulla exacta, nec præter Clusii primam alia existat. Reliqui cum omnes auctores a prototypo Clusii suas mutuarunt, quæ figura licet bona, flosculos male pictos ostendit, ex quo occasio data fuit C. Bauhino, ut diceret Gramen paniculatum, quod Tournefortius emendavit in spicatum, licet nec unum, nec alterum sit,

